

1531 fa fuisse voluntate, non vulgaribus causis eo adductam; præcipue vero haud dissimili regiminis forma, quod maximam ad conciliandos animos vim habet, allici: Mussianum præfectum non minus ejus gentis, quam publicæ pacis hostem esse; subsidia com meatuum, ac militum petentem minime auditum; Bergomati, ac Brixienti magistratibus injunctum, ne Reipublicæ subditos opem ferre, neu annonæ subvenire Mussiano paterentur: Rhætis contra quæ victui necessaria forent, importari a nostris sinerent. Ad hunc Mussiani belli tumultum Rhæti duodecim circiter aureorum millia cum ex suis, tum ex Helvetiis coegere, quibus Morbenio recuperato, præfecti fines ingressi, cuncta direptionibus, incendiis, depopulationibus vastarunt. Mediceus intra Mussianam arcem se recepit: illi obsidione Mussium circumcingunt, atque fame perdomitum ad deditionem compellere statuunt. Sfortia inde opportunitatem Leuci, quod ad ripas Novocomensis lacus situm est, occupandi nactus, prius Joannem Baptistam Specianum, mox Angelum Ricium, qui illi a secretis erat, Venetias miserat, ut a Senatu auxilia ad Leucum obsidendum, milites, aut pecuniam, nec non tormentarii pulveris subsidia impetraret. Senatus, ne parvis initiis publica quies, ac pax turbaretur, a suscepta sententia amovere Sfortiam contendit: non tempora exigere; non rerum conditiones exposcere, ut armis iterum in Italia decertetur: si porro milites conscriberentur; si subsidia ad bellum subministrarentur, quid Itali Principes, ac reliqui de Republica sentirent? nisi ab ea, quæ semper studium, amoremque pacis præsetulerat, alimenta modo ad belli incendium parari, atque exhiberi, dum christiana respublica, vel importunis dissidiis divulsa, vel gravissimis bellis conflictata, miscetur undique, atque jactatur? Sfortia Senatus consiliis acquiescere solitus, certam pacem dubio eventui belli antetulit. Rhætis Mussii arcis obsidio irrita conatu cessit, & cum præfecto compositis rebus, abiire. Mox oppida, quæ Sfortia bello minime aggressus fuerat, ea, pecuniæ certo numero Mediceo præfecto persoluto, tandem Insubrum ditioni adjecit.

Inter hæc Cæsar, qui Gandavi in inferiori Germania erat, de Mutina, atque Regio controversias inter Clementem, & Alphonsum Ferrariæ Ducem diremit; in Ferrariensis jura Mutina, ac Regium concederent; is urbium loco centum

*Morbenium
a Rhætis re-
ceptum.*

*Joannes
Baptista
Specianus
& Angelus
Ricium
Sfortiani o-
ratores ad
Venetos.*

*Mussiani
Præfecti
rerum com-
positio.*